

II. De causa Servi Dei Antonii M. Losito

Causa beatificationis Servi Dei Antonii M. Losito, iam diutius retardata, tandem initium sumpsit. Die 30 Septembris 1937 Nuceriae Paganorum in curia episcopali praesente Episcopo De Angelis processus ordinarius seu informativus super vita, virtutibus et miraculis Servi Dei introductus est.

Die 23 Octobris R. P. *Orestes Gregorio* constitutus est huius causae Vice-Postulator.

BREVIS VITA SERVI DEI ANTONII M. LOSITO¹

Antonius Maria Losito natus est d. 16 Dec. 1838 Canusii (*Canosa*), quae Apuliae urbs ad Aufidum flumen sita est, haud procul a Cannis, Romanorum clade famosis. Patrem iam tertio ante ortum mense amiserat, verum ipso die natali sacramento baptismi patrem accepit Deum, et iam post decem menses ope confirmationis baptismi complementum.

Vix decennis etiam optima matre Maria Caelesti Russo orbatus est quare avia materna, habitans in loco vulgo *Saline di Barletta* (hodie *Margherita di Savoia*), eius curam gessit. Litteras didicit a sacerdote Vincentio Taggiani, et quo tempore Canusii commorabatur, etiam a filiis S. Francisci.

Iam domi gestabat clericalem habitum, licet in Seminarium nondum ingressus; aspirabat enim iam pius puer ad sacerdotium. Religiosum quoque statum mox ambire coepit, simulac quondam duos clericos Redemptoristas per Canusium modestissime incedentes vidit. Erant Fratres Lojodice, patruoles, quorum unus, Victor, adhuc tanta sanctitatis fama gaudebat, ut et eius processus beatificationis nunc ipsum Montisvidei inauguretur.

¹ Cfr. *Posizioni e articoli...* auctore Postulatore Generali BENEDICTO D'ORAZIO.

Superatis igitur non paucis difficultatibus Antonius noster, tunc annum agens decimum septimum, novitiatum Iuranensem intravit et in pervaigilio Nativitatis Domini 1855 sacra veste indutus est. Novitus erat moribus angelicis, adeo ut iam post decem menses ad vota nuncupanda admissus sit, d. 24 Oct. 1856.

Collegium studentatus eo tempore erat iuxta sanctuarium *Materdomini* vocatum apud Caput Silari (*Caposele*). Ibi Fr. Losito omnium virtutum exempla continuavit; atcum cubiculum inhabitaret valde humidum et frigidum, valetudo eius tantopere concussa est, ut Superiores eum per aliquod tempus in patriam urbem miserint. Inceperant interim (a. 1860) in Neapolitano regno illi motus politici, qui tot tantaque mala illi parti Congregationis antiquissimae attulerunt. Rediit tamen ad claustra Antonius noster post novem decemve menses, et brevi post (d. 15 Mart. 1862) diaconatum ac in sequenti d. 5 Aprilis presbyteratum recepit; at cum denuo idem cubiculum huic religioso sine ulla querela omnia incommoda toleranti obtigisset, eius valetudini vel maiora damna illata sunt, quorum consecaria per totam vitam sensit. Etiam absolutis studiis Matredomini remansit, donec ineunte a. 1867 coactus est dilectum pacis asylum derelinquere.

Tum certe nesciebat durum hoc exsilium per duo fere decennia duraturum esse; tentavit quidem mense Augusto 1869 cum aliis confratribus in eodem collegio Matrisdomini claustralem vitam represtinare; sed iam mense Octobri pusillus grex dispersus est. Alterum tentamen a. 1886 Francavillae Fontanae perfecit una cum PP. D'Amora et Barbarulo, verum id quoque non duravit nisi sex menses.

Canusii commorans tantopere P. Losito omnes aedificabat sua pietate, modestia angelica, caritate, patientia..., ut vox populi communiter eum « Patrem Sanctum » appellaret. Quam sanctitatis famam ibi retinuit usque ad praesentem diem. Sic anno superiore, recurrente vigesimo mortis eius anniversario, Adm. R. P. Iosephus Tessa, Superior domus Francavilla, ipse quoque Canusinus, a civibus vocatus est, ut de veneratissimo P. Losito in ecclesia cathedrali (olim Canusium erat sedes Episcopi) digne apparata et pia multitudine stipata orationem convenientem haberet¹.

P. Losito illa periodo in urbe patria et alibi exercitabat apostolatum laboriosum et fecundum praedicando verbo Dei, administrandis sacramentis, visitandis consolandisque infirmis... Habitabat vel apud fratrem sororemve in ipsa urbe, vel in domo solitaria ex adverso templi B. M. V. Constantinopolitanae, distanti ad urbe mille passus.

Attamen vix ineunte a. 1887 vocem Superioris Provincialis Nuceriam Paganorum se vocantis audierat, cum statim laetabundus, insalutatis propinquis et amicis, eo se contulit. Ex illo tempore per viginti annos penes

¹ Cfr. *Il Messaggero* 21 Jul. 1937; *La Gazzetta del Mezzogiorno* 18 et 21 Jul. 1937.

clericos studentes officio Praefecti fungebatur, sibi minime parcens ac spirituali corporalique bono alumnorum summa cura intentus.

Circa a. 1890 ei supervenit quaedam paralysis generalis, omnia membra tremore molestissimo pervadens. Quod malum ad mortem eum non reliquit, immo ultimis annis adeo crevit, ut in scribendis epistolis, in induendis exuendisque vestimentis, in manducando et bibendo, in celebranda Missa... aliquo adiutore opus haberet.

In hisce vero ac non paucis aliis tribulationibus, quae ipsi fuerunt velut comites vitae inseparabiles, semper aequum ac laetum animum servavit, nunquam intermittens officia caritatis erga confratres et animas paene innumeratas, praesertim sacerdotales, quae ad eum pro consilio et solacio recurrebant, semper in suis verbis suavitatem et sanctam unctionem, in aspectu autem et omnibus actibus animum in Deo intime collectum ostendens.

Tanta apud omnes fruebatur auctoritate, ut infirmitas gravis non prohibuerit quominus a. 1907 Rector domus Paganensis et a. 1900 Superior totius Provinciae renuntiaretur. Exacto triennio in eadem domo S. Fundatoris sepulcro sacra mansit Consultor et Provincialis et Rectoris et tot aliorum, intra muros et extra, eius sapiens consilium adiutoriumve efflagitantium.

Ultimus morbus, dolorum acutissimorum causa, incepit d. 17 Maii 1917. Tandem festo S. Camilli, 18 Iulii, Servus Dei animam suam innocentem virtutibusque fulgentem in manus Patris caelestis tradidit. Funerum sollemnia extiterunt quaedam apotheosis. Corpus, primum in caemeterio communi tumulatum, postea ad sacellum sodalitatum nostrarum (pristinam ecclesiolum publicam) translatum est. Ibi etiam Servus Dei P. Iosephus M. Leone quiescit et ipse S. P. N. Alfonsus per aliquod tempus quieverat.

Iam vivo etiamtum Servo Dei narrabantur haud pauca facta prodigiosa: ecstasis, prophetiae, scrutationis cordium, sanationis infirmorum... Alia miracula post eius obitum facta esse dicuntur. Servus Dei Pius PP. X. Patrem Losito, sibi sincera humilitate cordisque simplicitate valde similem, maximi faciebat eique et futuro Cardinali van Rossum commisit visitationem apostolicam coenobii Montis Virginis aliaque delicata negotia. Etiam Benedicto PP. XV P. Losito carus erat. At quamvis aequalium veneratione admirationeque circumdatus esset, ipse firmus in sui contemptu stetit. Eo citius Deus, qui exaltat humiles, Servum suum fidelem glorificet.

Passio quidem me impelleret ad petendam sententiam iudicis; verumtamen nobis, utpote Romae extraneis, magis expedire existimo litem componi, si adversarius consentiat.

(*S. Alf. ad P. de Paula mense Apr. 1778 [?].*)